DISSERTATIO CHIRURGICA

DE

PARACENTESI URETHRÆ

IN ISCHURIA PERTINACI;

QUAM DEO JUVANTE, & Præside BERNARDO PEYRILHE, *Chirurgiæ Magistro, Doctore Medico Tolosano, Chymiæ Regio Professore, Academiæ Regiæ Chirurgiæ Consiliario, è Regiâ Academiâ Scientiarum Humaniorum Litterarum & Artium Tolosanâ, nec-non è Regiâ Scientiarum Societate Monspeliensi, tueri conabitur* NICOLAUS-LUDOVICUS LEGER, *Parisinus, Doctor Medicus Rhemensis, in almâ Universitate Parisiensi Liberalium Artium Magister,* Dissertationis Auctor.


Die Sabbati vigesimâ secundâ Mensis Augusti, anno Salutis 1778, *à sesqui-secundâ post meridiem, ad septimam.*

IN REGIIS CHIRURGORUM SCHOLIS.

PRO ACTU PUBLICO

ET


MAGISTERII LAUREA.



PARISIIS,

Typis MICHAELIS LAMBERT, Regii Chirurgiæ Collegii necnon Academiæ Typographi, viâ Citharea.

M. DCC. LXXVIII.





D. O. M.

DISSERTATIO CHIRURGICA

DE

PARACENTESI URETHRÆ

IN ISCHURIA PERTINACI.

OBSOLETAM urethræ paracentesim dum allaboramus rescribere inter eximias Chirurgiæ encheireses, litem jamdudùm decisam ad judices deferre fortè videbimur. Et quidem non desunt Chirurgi, cæteroquin commendabiles, qui sibi persuadeant singula artis molimina, quibus veterascere contigit, consultò & post perpensa cum incommodis ipsorum commoda, expuncta fuisse. Verùm quàm falluntur! quot & quanti operandi modi exolevêre, non quòd melioribus cesserint, sed propter ægrorum mollitiem, medentium inertiam, d ›centium

in pervolvendis Chirurgiæ artis monumentis segnitiem, uno verbo dixerim, quod sic voluerit usus, penès quem arbitrium est & jus & norma, ut loquendi, sic quodammodo, curandi mortalium ægritudines. Universas artis operas, quæ oblivione primùm torpentes, dùm Chirurgi de novis methodis ac instrumentis quæ his absolvendis aptiora videbantur, inter se disceptarent, quæ deindè novorum inventorum famâ spoliatæ ac denudatæ honore proprio altis se immersere tenebris, pristinum recuperaturæ splendorem cùm jusserit sors, recensere nobis mens non est, unam urethræ paracentesim ab immeritâ proscriptione vindicaturis. Hic propositi scopus; hæc opusculi summa est.

2. Paracentesis urethræ nomine designatam volumus hujusce canalis juxta vesicæ collum incisuram, axi parallelam, quâ vel sponte effluant urinæ repagulo cohibitæ, vel immissâ brevi decentique fistulâ eliciantur.

3. Hæc operatio, Chirurgorum gallorum genuinus fœtus, medio seculo XVI excogitata, integris duobus seculis viguit, fortèque vigeret adhuc dum, nisi plurimis ejusdem scopi conaminibus tunc certatìm editis obnubilata, delituisset. Ex publicorum monumentorum fide Thevenino, Chirurgo Parisiensi literis & arte claro, coeva reputanda est (1) : imò antiquior, cum jam apud Zecchium habeatur (2); cui inventionis laudem sibi arroganti sub finem seculi XVI, opponebat Riolanus, ante centum annos Parisienses medicos (nimirum Medicos-Chirurgos, Medici-Phisici enim tunc temporis, ut ab Anatomiâ, sic à Chirurgiâ temperabant) hanc operationem celebrasse (3).

---

(1) *Les Oeuvres de Maître François Thevenin, Paris, 1669*, in-4°. *pag.* 163. Theveninus obiit anno 1638.

(2) Consult. medicinal. Consult. 58.

(3) Encheiridion, Lib. 2, Cap. 31.

4. Non tamen reticendum eſt Saviardum (1), quo pollebat ingenio ductum, naturæ molimina acutè interpretatum, operationem noſtræ affinem inſtituiſſe. Num antiqua Collotorum familia inventionis honore fraudanda ſit hæremus ambigui: cùm enim præclari hujus nominis viri, qui ante ducentos annos ſuâ in ſecando calculo peritiâ eminuerunt, ſibi & paucis diſcipulis ſuam artem ſervaverint; cumque libellus horum nomine inſignitus poſt Franciſci, Collotorum ultimi, exceſſum (2), in lucem prodierit, vix vel acutiſſimi, poſſent Bibliographi doctrinæ hoc volumine contentæ ætatem definire.

5. Quidquid ſit de ipſo Colloti opuſculo, certum eſt id ipſum teſtari felici eventu inciſam fuiſſe urethram in Iſchuria pertinaci (3). Medius inter Theveninum & Collotorum ultimum Toletus tractatum de lithotomia in lucem emiſit, quo noſtram operationem commendat tamquam jam vulgatam & uſu probatam; ſimulque edocet quâ methodo, quo apparatu perficiatur (4). Exinde potioribus galliæ Chirurgis exculta, tandem cum Ledranio poſtremo ejus patrono, ferè occubuit: nec tamen obſtarunt improſpera hujus operationis fata quin paucis abhinc annis hujuſce Collegii Socius illam ab oblivione vindicaret debitiſque encomiis extolleret (5). Sed quàm difficilè inveteratum mutant morem practici! quàm ægrè redit honos rebus antiquis! quàm arduum medenti & ſuæ

---

(1) *Nouveau Recueil d'Obſervations chirurgicales*, *Paris*, 1701.

(2) Medicus in Chirurgos aſper, ne dicam incivilis, qui poſthumum Collotorum opuſculum edidit, vitam & obitum Franciſci Colloti quamvis ignota prætermiſit; unde invaluit opinio apud Bibliographos incertum eſſe tempus quo Franciſcus è vivis exceſſit: verùm ex Toleto cognoſcere poterat Senacus hunc præclarum Chirurgum obiiſſe die 25 Junii anno 1706.

(3) *Traité de l'Opération de la Taille*, *pag.* 232.

(4) Pag. 300.

(5) *Eſſai ſur la vertu Anti-vénérienne des Alkalis volatils*, *pag.* 180.

famæ conſulere, & ſuccurrere ægris, etſi deſperatis, inſolita, licèt uſitatis meliora, tentando!

6. His prælibatis, ad rem ipſam properantes, recenſebimus primùm varia iſchuriæ genera, quibus tutam promptamque opem ferre nobis viſa eſt urethræ paracenteſis.

7. Iſchuriarum aliæ vitiis urethræ, aliæ veſicæ morbis imputandæ veniunt : renales omittimus, quòd Chirurgiæ inſtrumentalis conatibus cedere neſciant. Quæ in urethrâ ſedem fixerunt iſchuriæ variis cauſis referuntur, quas hìc colligere ac perpendere neque ſinit opuſculi modulus, neque propoſiti finis exigit : ſummatìm quæcunque impedimenta lotium cohibentia urethram adeò exquiſitè ac pertinaciter obturando vel anguſtando ut neque cerei, neque catheteres omnigeni, his ſuperatis, ad veſicam demitti queant; aut ſi ad lotium uſque adiguntur, non poſſint præ dolore tolerari, præcipuè ſi remotis catheteribus recurrat anguſtia rursùm urinas cohibitura; hæc, inquam, impedimenta urethrales iſchurias contumaces pariunt, quarum aptiſſimam medelam in urethræ ſectione ponimus.

8. Ergo parietes urethræ inflammati, incraſſati, tumefacti, callo indurati, obſtipati, varicoſi, exulcerati, quibus vitiis ſejunctis unitiſve hunc in modum anguſtatur, in ſerpentinos tortus flectitur ac præcluditur urethra, ut neque chirurgica inſtrumenta ingredi neque urinam egredi ſinat, vulgatiores ſunt cauſæ urethralis iſchuriæ ad tantum pertinaciæ gradum evectæ, ut paracenteſi viam recludere lotio cogat imperioſa neceſſitas.

9. Numeroſiores multòque graviores ſunt iſchuriæ veſicalis cauſæ : hujus cenſus habentur veſicæ & potiſſimùm ipſius colli varices, quas hemorrhoïdes accuratiùs dixeris; inflammatio, ulcera, fungi, appendicula internæ tunicæ quoquo modo tumefacta & indurata, quâ clauditur oſtium; huicque affinis Briſſautii miranda valvula (1); proſtatarum infarctus, ſcirrhoſi, lym-

---

(1) Toletus opere citato, pag. 275.

phatici, inflammatorii, purulenti; demùm ipſe calculus collo impactus quem neque catheter retropellere, neque lotium circumfluere valeat.

10. Uno verbo, quoties catheterem nullâ omninò ratione in veſicam demittere chirurgus valet; vel ſi violentiùs adigens tandem ad optatum ſcopum quomodocunque pertingat, ex inconſultâ inſulsâque operâ dolores ingraveſcant, atque non nunquam laceretur, diſrumpatur urethra, imò inflammatio gangrenodes proritetur; tunc niſi propinqua certaque ſpes affulgeat mox collapſura fore impedimenta, urethræ paracenteſim tutiorem expeditioremque viam eſſe, non modò ægris ſervandis, ſed obſtaculis abigendis, ratio & magnorum in arte virorum experientia innuunt atque teſtantur.

11. Ut inter ſe Chirurgi expertiſſimi conſentiunt de methodo operandi, ſic nos ipſis aſſentimur.

1°. Theveninus, Toletus, Collotus, iisque præeuntibus Heiſterus modum proponunt *magno apparatui* non abſimilem, quem omnibus numeris abſolutum & agnoſcimus & profitemur.

2°. Ægro ritè diſpoſito, Chirurgus catheterem ſulcatum in urethram demittit, donec ad obſtaculum pertingat, quod juxta veſicæ cervicem plerumque latere aſſerunt alii (1), nos ſupponimus tantùm perſpicuitatis gratiâ. Poſtea ſcalpello ancipiti, eâdem ratione, eodemque loco quo in magno apparatu, ad latus raphes, præmonente Toleto, ne cicatrix evadat moleſtior (2), urethram incidit, vulnere quod recipiendæ fiſtulæ argenteæ ſufficiat, donec apicem ſcalpelli in catheteris ſulcum immiſerit; ſicque, ut cuilibet palàm eſt, ex urethrâ virili femineam facit. Deinde vel fiſtulam breviorem intra veſicam molliter demittit, vel, ſi negotium non ſuccedat, ductorem canaliculatum per brevem, quæ ſuper eſt, urethram & veſicæ cervicem adigit;

---

(1) Heiſter, Inſtitut. Chirur. pag. 944. & ſ.

(2) Pag. 172.

quem in veſicam, ſuperato ſphinctere, perveniſſe lotium effluens certiùs teſtatur.

3°. Si ductoris ſulco tota ſe effuderit urina, & talis indolis ſint impedimenta quæ promptæ relaxationis ſpem admittant, introductio fiſtulæ conſultò differtur; ſin minus antequàm removeatur ductor, immittitur.

4°. His abſolutis, ſi vires ſinant, æger deſcendat in ſolium tepidum, quo miteſcet dolor, præſentis moxque invaſuræ inflammationis Symptomata comprimentur, & quidquid tenſum, tumidum, aut rigidum eſt laxabitur: ad quartam uſque diem iterandum balneum eſt & fotibus laxantibus juvandum.

12. Operoſiùs abſolvetur urethræ paracenteſis cùm repagula medium alvei tractum obſtipantia catheterem à loco tundendo arcent. Verùm neque tunc adeò operoſa res eſt, ut vulgari majorem operandi peritiam in Chirurgo deſideret (1). Pars membranoſa urethræ, donec ſana eſt, pollice capacior magis magiſque diſtenditur in iſchuriis pertinacibus, ita ut familiare ſit hanc ad duplam triplamve capacitatem ſenſim deductam invenire. Nec mirum, urinam enim dum excernere enititur veſica, in impedimenta detrudit; urinæ fluxus impingens in obſtacula complanatur ac in latera canalis reagit eâdem vi quâ agitur; hæc diducuntur, capacitas alvei adaugetur, tandemque memoratam adipiſcitur amplitudinem. Et ſanè, neminem latet fiſtulas, quas urinarias dicunt, iſchuriæ imò & ſtranguriæ deberi. Porrò hæ fiſtulæ effuſionem urinæ in textum cellularem ſeu abceſſus urinarios, excipiunt, horumque exiſtentiam ſupponunt, ut ipſi abceſſus demonſtrant diſruptum eſſe veſicæ collum, aut urethræ tractum, qui à veſicâ ad impedimenta protenditur: ſed nunquam urethra in dictas rimas, quæ lotium fundant, dehiſcet, antequàm quantùm valet vi diſtendenti, nempè urinæ, veſica obſecuta fuerit. Ergò quoties ſæviet pertinax iſchuria ex impe-

(1) Collot, pag. 249, 242, 244.

dimentis

dimentis medium urethræ tractum occupantibus, catheteremque arcentibus, toties diducta & amplior facta deprehendetur urethra, inter obturamentum & urinæ receptaculum posita. Ergò capacior hæc urethræ pars & manifestè palpanti digito, & latè secandi lithotomo occurret; ergò quamvis destitutus cathetere, hanc tutò ac facilè tundet Chirurgus.

13. Dicent fortassè nostræ operationis inconsulti osores, tales urethræ angustias quæ à medio veretro ad prostatas usque protendantur, esse possibiles, addentque tunc nostram operationem, ut impossibilem sic irritam omninò fore. Unum, nec plura, talis infarctûs exemplum, ex Colloto habemus, quem Chirurgus hic peritissimus & secuit & vicit feliciter (1). Ergò possemus experientiâ freti contendere, & in his angustiis paracentesim urethræ solito beneficio frui : verùm cùm exinde dissertationis argumentum nihil detrimenti patiatur, fatebimur hanc operationem in mirandum hunc obicem infirmam esse, hâcque neglectâ ad affinem Thevenini vesicæ sectionem (2), aut si malint ad punctionem confugiemus.

Interea cùm catheter in obices à collo vesicæ dissitos impingit nec hos prætergreditur, cautiùs se gerat Chirurgus rectore, & ut ita dicam, metâ ad quam pertingat destitutus; non autem timidiùs, cùm vix possit ab urethrâ aberrare. Fortè mallent quidam ipsos catheteri obluctantes obices rectà incidere? Hi fautorem habebunt sæpiùs laudatum Collotum.

14. Postquam probatum est tutò & commodè urethram secari, quoties pertinax ischuria cogit insolitam recludere viam lotio, hujus sectionis peculiares dotes disquirendæ perpendendæ & pro viribus illustrandæ veniunt.

15. Omni graviori noxâ expertem esse paracentesim urethræ, præter partium divisarum naturam, evincunt ratio & numerosa

(1) Pag. 245.
(2) Loco citato.

experimenta à Thevenino, Toleto, Saviardo, Colloto, le Dranio sexentisque aliis capta. Vanum pariter lædendi vasa seminalia metum à Junckero fictum (1) abigit virorum magno apparatu sectorum generationis negotio utiliter incumbentium caterva.

16. Arduam magis Chirurgo, & ægroto magis acerbam esse urethræ paracentesim reliquis vesicam tundendi modis etsi non diffiteremur, non proindè deterior habenda foret nostræ operationis conditio: nam Chirurgi labor & opera ne vel minimi momenti sunt, & propter partium torporem his ægritudinibus familiarem tam parvum atque tam nullum est doloris augmentum methodo imputandum, ut conferri cum peculiaribus operationis meritis non permittant artis dogmata, quæ *tutò* & posteà *jucundè* curare docent.

17. Cùm inflammatio vesicæ collum obsidet, *sive ipsa ischuriam suscitaverit, sive ascita sit & genuinam ischuriæ causam comitetur*, sectâ urethrâ remittit inflammatorius æstus, laxantur stricta, concidunt tumefacta, quantuluscunque sit emissi sanguinis fluxus, ut rectè quondam notaverat Toletus (2), & observatio novissima, quam à Chirurgo magni nominis accepimus, comprobat.

1°. Quidam è *pseudo-Chirurgis qui certam exiguisque terminis definitam practicandi licentiam pretio sibi comparant*, dum acum triquetram intra vesicam demittere intendit, in inflammatam lotiumque cohibentem prostatam infigit. Quid fit? Sanguis ad quatuor uncias fertur per fistulam; concidit prostata; laxatur sphincter; urina pleno alveo fluit, omnemque abstergit ischuriæ metum.

18. Hæmorrhoïdes seu varices vesicæ collum tuberibus anfractuosisque gyris deformantes quandòque viam lotio præcludunt, aut saltem coangustant alveum; ita ut nunc nullum patiantur

---

(1) Conspect. Chir. pag. 674.

(2) Oper. Cit. pag. 301.

elabi lotium, nunc parcum, & quandòque ſanguineum laticem pure aut muco vel etiam utroque remiſtum affatìm fundant; tunc, inquam, tanto malo aut medetur aut ſaltem opitulatur urethræ paracenteſis.

1°. Pertinacia varicum quæ veſicæ collum partemque membranoſam urethræ obſtipant, nemini Chirurgorum non nota eſt. Neminem pariter latet elabentem è varicibus ſanguinem quandoque dum fluit intra urethræ alveum, in grumos denſari, canalem obturare, ſicque urethralem iſchuriam veſicali iſchuriæ ſubjungere, graviſſimumque vitæ diſcrimen graviſſimo addere.

2°. Sectâ more parentum urethrâ, non modò utrique iſchuriæ ſuccurritur, ſed ſequax veſicæ diſtentio, inflammatio, ſuppuratio, arcetur. Huic medelæ uſque adeò confidimus, ut plurimos ægrotos, qui ſub propriis oculis occubuêre, ſalvos nunc ſtare, ſi hâc uſi fuiſſent, pro certo habere vel inviti cogamur. Hâc enim & panditur via urinis, muco, puri, ſanguini, & ſuus veſicæ redditur vigor, quo propria vitia abigat, vel curæ patientiora efficiat, vel denique mitiora, ægroto minùs moleſta & œconomiæ animalis muniis minùs infeſta reddat.

19. Ex dictis, hoc paragrapho, quid ſentiendum ſit de paracenteſi urethræ meritis cùm ulcera veſicæ collum aut ipſius corpus occupant vel lippis patere exiſtimamus, quorum vitiorum medela ab injectionibus potiſſimùm petenda.

20. Id imprimìs notatû dignum occurrit urethræ ſectione viam recludi internis veſicæ membranis quæ aliquando per ſuppurationem abſcedunt, foràsque, quòd vix ſperare permittit viarum anguſtia, truduntur. Hæ rarò viſæ, licet Williſio (1), Ruiſchio (2), Boerhaavio (3), Rouhaultio (4) ſe obtulerint,

---

(1) Diſſert. de Urinis, Cap. 5.

(2) Adverſ. Anat. Dec. 2, n°. 9.

(3) Vid. Chriſt. Kochii. Affect. in lib. & cæt. rar. Deſcr. in Raciocin.

(4) *Hiſt. de l'Acad. des Scien. an.* 1714, *Obſ. Anatom.* 12.

frequentiùs haud dubiè ſecedunt quàm excernuntur; verſæque in putrilaginem non poſſunt morbum non adaugere, aut delapſæ intra canalem novam non creare iſchuriam. Sectâ urethrâ has faciliùs excerni nemo non videt: ſic ultima auſus Valentinus, inter Chirurgos Pariſienſes ingenio clarus, in ipſo agone, omnibus incaſsùm tentatis, urethram ſecuit; lotium primò, deinde amplam membranam eduxit, & ægrum ab orci faucibus liberavit.

21. Quàm dira, quàm pertinax ſit proſtatarum induratio mille funeſti eventus abundè comprobarunt. Numeroſa prætumidæ præduræque proſtatæ glandulæ exempla produnt Auctores apud Bonetum (1), Heiſterum (2), Morgagnum (3), laudati, & qui antè alios nominandus eſſet Pareus (4). Hæc glandula tumeſcit nunc obruta & quaſi confixa calculis, quorum propria ſigna adhùc deſiderantur (5); nunc lymphaticis congeſtionibus conferta diſtenditur.

1. Mole aucta proſtata non uno modò urethram anguſtat: aliquandò enim parietem parieti apprimit; aliàs intùs demiſsâ appendiculâ, piro, ceraſo, &c... ſimili viam claudit. Hunc obicem, quater Morgagno viſum (6), obſervaverat Rhodius (7), qui ſenem deſcribit in quo mictionem fecerat ſenſim difficiliorem, denique autem, muco addito, urinæ viam omnem intercluſerat *ſoli veſicæ orificio appendicula calloſa, interiùs adnata, & veriùs interior ambitus orificii membranoſus in articuli magnitudinem excreſcens.* Hùc pariter ſpectare videtur quæ in Sepulchreto ex Gaſſendo proponitur, ad *veſicæ ſphincterem caruncula,*

---

(1) In Sepulchreto Sect. 24. Obſ. 17: Sect. 25. Obſ. 16, 17, 18, 1.

(2) Inſt. chir. p. 2. S. 5. Cap. 44.

(3) Epiſt. 41. 66.

(4) Vid. ejus opera, Lib. 19. Cap. 19.

(5) Epiſtol. 42, n. 37.

(6) Epiſt. 37, 30: 41, 6: 43, 24: 66, 6.

(7) In Sepulchreto Sec. 25, Obſ. 12.

callosave substantia, quæ infernè tumida & triente prope digiti crassa, meatûs orificium obstruebat (1).

29. Num hæc excrescentia quid naturale sit & recens inventum controversia mota est: de utroque audiendus est Santorinus (2): *quanquam aliquando ad cervicis vesicæ osculum posteriùs quidpiam, de quo mox, in magnam satis molem prominere vidimus, id vel perrarò compertum est, vel ex iis dumtaxat subjectis, quorum vesica laboraret, usque adeò extare observavimus, ut ea res haud mereatur, quæ ceu perpetua & constans, quæque vitiosa, & infrequens est, vel tyronum, vel minùs exercitatorum damno exhibeatur.* Non aliter Morgagnus, qui cum uvulam, quam vesicalem dixerunt, invenire in statu sano nunquàm potuerit, hanc eminentiam pro extuberantiâ prostatæ habere non recusavit; in hoc discrepans ab aliis, quòd illis hæc excrescentia aucta creditur fuisse uvula, cùm suæ illi observationes persuadeant indè ubi nulla fuisset uvula, præter naturalem omninò excrescentiam prostatâ exstitisse (3).

30. Quidquid sit de hâc controversiâ, certum est peculiarem hunc obicem viam lotio præcludere. Porrò quoties mole auctis prostatis sic angustatum vel obturatum vesicæ collum est, ut urinis via præcludatur, quàm operosa & sæpèsæpiùs quàm irrita sit catheteris demissio quis expertus non fatebitur? Sectâ & in hoc infortunio urethrâ, immissâque fistulâ, quam vix unquam admittere respuent obices, urgenti succurritur symptomati, vita tuta præstatur, donec causa morbi congruis debelletur medelis; aut saltem reclusum ostium servat lotio assiduus & perennis fistulæ usus.

31. Nec nos terreant ab opportunave opera dimoveant quæ assiduum usum fistulæ trans vesicæ parietes infixæ sequi solent incommoda. Cùm enim ducente acu triquetrâ per vesicæ parietes

---

(1) Ibid.

(2) Opuscul. Anatom. Cap. 10.

(3) Epist. 66, n°. 12.

adigitur cannula, quamdiu locum transfixum occupat, tamdiu vulneris ambitum inceſſanter affricat, & mala ex affrictu oriunda proritat.

1°. Ne cannula veſicam deſerat id imprimis curat Chirurgus ut tantùm in veſicæ cavum promineat, quantùm media diameter veſicæ exhauſtæ, media diametro veſicæ plenæ ſuperatur. Niſi enim ſic proſiliret cannula, veſica dum emiſſo lotio concidit, cannulam breviorem deſereret, fortèque lotium in inania ſpatia funderet; pars autem extrema fiſtulæ, ut decet tenuis & acuta, impingentes veſicæ exhauſtæ parietes pungit, irritat, inflammat, gangrænamque, his in infortuniis non infrequentem, aut prolicit, aut ſaltem adjuvat. Verùm quis Chirurgiæ gnarus parem eventum formidabit ex morâ cannulæ, quâ definit ſubrotundæ, per viam naturalem vix *ſupra ſphincterem demiſſæ*? Diſcrimen luce meridianâ clarius otioſum foret accuratiùs evolvere.

2°. Quod ad inciſuram urethræ ſpectat, licèt hæc foramine acutriquetræ paulò amplior, vix ſtatui poteſt an ſimul acerbior ac moleſtior ſit. Verùm omiſſo utrinque dolore, id teſtantur centies capta experimenta urethræ inciſuram ſponte coire, atque validâ cicatrice expleri poſt abactos obices, etiam invito obluctanteque Chirurgo (1). Vanâ ergò querelâ paracenteſim urethræ fatigarent qui fictitium urinariæ fiſtulæ metum ipſi exprobrarent. Interdùm tamen de induſtriâ ſtudendum eſt ut fiſtula urinaria perennet, quâ & mucoſi, purulenti, ichoroſi latices effluant, & minuti calculi, ſi fortè excluſi latebris ſe tandem prodant, educantur (2).

23. Res adhuc feliciùs ſuccedet, ſi tumefactio proſtatarum inflammatoria vel apoſtematoſa fuerit: prima enim ex parte concidet; altera vel lithotomo recludetur, vel partim diviſa tumoris involucra minori vi rumpentur & contentum diſtendentemque laticem fundent quâ data porta eſt effluxurum. Hinc via reddita lotio; patienti ſalus.

---

(1) Ledran. Obſ. de Chir. t. 2, pag. 183. Obſ. 77 & alii.

(2) *Idem.* Traité des opér. de Chir. pag. 282.

1º. Hujus quem promittimus felicis eventus, præclarum exemplum ſiſtit Pleſii Doctoris medici obſervatio, Riolano filio conſecrata dicataque, anno 1651, vix nota, cùm in calce *encheiridii* ablegata toto opere obtegatur.

2º. Incidit de repente ipſe Pleſius in moleſtam & ſtrangurioſam urinæ difficultatem, quam mox excipit omnimoda urinæ ſuppreſſio. Cùm ſolita auxilia nihil proficerent, cogitur admittere catheterem, ſolerti Joannis Burgii Chirurgi in artis operibus verſatiſſimi manu introductum; ſed ſine ſucceſſu, revulſo propulſatoque toties à reſiſtente ſphinctere inſtrumento. Inducias tempus affert; immittitur catheter, ſed mox recurrit immittendi impotentia. Interim collabebantur vires, & de ſummâ rerum jam decernendum eſſe ægroto videbatur. Quid plura! Ad urethræ paracenteſim velut ad ſacram anchoram confugitur. Statim ſuſcepta à *ſtrenuo viro*, *ſtatim peracta Chirurgica* operatio incredibili celeritate, feliciterque educta inſignis cænoſi craſſique puris diù in toto ſphincteris ambitu ſuppreſſi copia. Habita deinde diligens admodùm vulneris cura, intraque XX dies inducta cicatrix. Huic non abſimilem obſervationem habet Collotus (1).

3º. Non minori emolumento incidetur urethra, cùm apoſtema inter inteſtinum craſſum & veſicæ collum nidulans urinam cohibuerit: hìc tamen æquum rerum eſtimatorem monitum volumus nos non propterea quòd abceſſus prædictum locum occupat, ideò urethram ſecandam eſſe ſuadere: quoties enim de verâ apoſtematis ſede ſuſpicionem injicient ſymptomata, Chirurgo cautè ſecare & ſi ad apoſtema ſcalpellum poſſit adigere, ab urethrâ cavere præcipimus.

24. Idem quod de proſtatarum internâ appendiculâ, dictum volumus de mirandâ valvulâ, quam Briſſautius lithotomus Divionenſis obſervavit, referente Toleto, quâ tàm exquiſitè cohibita fuit urina, catheterque remotus ut æger die ab invaſione iſchuriæ

---

(1) Pag. 186 & 7.

ſeptimâ vitam obierit (1). An teſticulata tubercula mobilia à Thomâ Bartholino ſemel viſa quid ſimile Briſſautii valvulæ fuerint diſcernere perarduum eſt (2).

25. Ad hos proximè accedit obices rarus quem in viro iſchuriâ denato vidit Morgagnus, qui nihil erat aliud quàm unum è foraminibus per quæ ſemen egreditur, ſic dilatatum ut in ipſum extremus catheter ſe conjiceret (3).

26. In minori calculo collum veſicæ membranoſamve urethræ partem obſtipante catheteremque deludente, ſive nudo, ſive, ut obſervatum eſt (4), muco ita obducto ut nullam ſuſpicionem injiceret, vix eſt quod immoremur : nemo enim non videt huncce calculum & ſectione revelatum, & majori minorive negotio extractum fore ; ſicque morbo impoſituram eſſe finem, urethræ paracenteſim.

1. Hûc referri merentur minuti *calculi*, quibus urinoſa ſcroti congeſtio & iſchuria proritatæ fuerant, à Colloto extracti (5) poſt urethræ paracenteſim quâ innotuerant. Num tutius ſit quandoque magno calculo veſicam infeſtante lotiumque cohibente urethram incidere, ipſique lotio viam pandere, ut parentibus ſolemne erat, quàm grandiorem calculum extrahere, decernant lithotomi.

27. Fungos de quibus nequidem ſuſpicio erat ante peractam urethræ paracenteſim, & certò dignoſci & educi, interdumque tutò evelli inter cæteros teſtatur Collotus, propriâ doctus experientiâ.

Ne in immenſum creſcat opus, de more anguſtis cancellis cohibendum, plura conſultò omittimus, quæ inter diſputandum ſi occurerint pro viribus ſupplere conabimur.

---

(1) Pag. 275.
(2) In Sepulchreto Sect. 24. Obſ. 12.
(3) Epiſt. 24, n°. 7.
(4) Morgagnus, Epiſt. 42, n°. 16.
(5) Pag. 277.

F I N I S.